

Nam ut sol, qui oculus mundi nec immerito habetur, universum animat atque illustrat, ita plantis quoque sua cuique dedit lumina almæ naturæ Creator, quæ sunt organa vel instrumenta percipiendæ luci idonea. Quia vero flores, quæ sunt plantarum lumina, quatenus oculorum vice funguntur, tantopere præsentia solis afficiuntur, ut sine illo nec rite explicari, nec florere possint: sequitur eos eo grandiores atque ampliores fieri, quo magis splendeat lumen.

Hinc flores sub arcto, non tantum ampliores, quam alibi terrarum, sed etiam colore vivacissimo, nec non elegantia longe ornatissimi. Corolla valde speciosa superbiunt, idque, ni fallor, ob lumen solare perpetuum, cujus vis ratione florum, in ampliando ac colorando sita est.

§. 2.

Hæc ratio florum in Lapponia Tornensi maxime perspicua; quod et lumen solare his regionibus diuturnum, et planities terræ magis, quam aliis Lapponiæ regionibus spatiosa, neque præ altis montium cacuminibus obumbrata: unde plantæ, loca umbrosa amantes, heic omnino desiderantur; Ex. gr. *Saxifraga Cotyledon*, *Aconitum Lycoctonum*, *Sonchus alpinus*, unico tantum loco ad lacum Kil-

152  
op. p. 292!